

Salutem in Domino plurimam.
Reverendissime et Illustrissime Domine.

Literas meas, quemadmodum Illustrissima Tua Dominatio exceptura sit, horreo: sed erigit me humanitas Tuae Dominationis, quae et libertatem meam benignè accipiet, et erratis paternè ignoscet. Meretur hoc, si non mea sinceritas, quam in hac causa etiam cum offendendi metu praesto, certe quae nos omnes, magnos et parvos eodem sinu complexa fovet Ecclesia. Hoc Illustrissimam Dominationem Tuam per Christi caritatem supplex oro, hanc meam scriptionem sic interpretatur, ut certo sibi persuadeat eam non contemptionem continere, nec admonitionem, nam et pro dignitate Ecclesiae mori paratus sum, et vestris monitionibus sine tergiversatione obtemperare: sed dubitationem, deprecationem et humillimam in re ardua consilii petitionem, quam impetrare Catholicos Germanos aequum est, cum plura impetraverint Galli, qui, Germanis pro Ecclesia scribentibus, libros eidem Ecclesiae faventes exurunt. Liberius autem scribo, quia virorum doctorum, nobilium, quique magna sunt in Germania dignitate et auctoritate, sententiam refero; illorum discursibus manu ego mea officium exhibeo. Eos quia nostra responsione pacare non possumus, ad vestram caritatem, misericordiamque confugimus, adversitatis quae Roma venit, remedium ab eadem Roma postulantes. Interesse Ecclesiae arbitror a Romanis cognosci sensus, et iudicia Germanicae nationis, nec operae precium est Romae dissimulare, quod hic palam non sine scandalo clamatur. Quomodo enim sanari poterunt vulnera, si omnibus conspicua, solos illos lateant, qui soli ea nosse debent, et mederi possunt?

Sparsa est per Germaniam Reverendissimorum et Illustrissimorum Cardinalium de libello Patris Martini Becani censura, cuius summa est, in eo propositiones esse falsas, temerarias, scandalosas, seditiosas, respective, Becanus, genuinus Sanctae Romanae Ecclesiae filius, et summo Pastori speciali professionis voto obligatus celerime omnia ad censurae normam correxit. Non tamen obedientia sua

/ aliorum libera consilia, et in censuram aspera inhibere potuit. Quo-
rum ~~ego~~ voces nec patronus, nec approbator dissentiantium, sed nuncius
fidelis ad Illustrissimam et Reverendissimam Dominationem Tuam appor-
to.
Quatuor sunt censurae capita, propositiones esse falsas, temera-
5 rias, scandalosas, seditiosas. Cum verò haec non conveniant in omnes
illas undecim propositiones, quarum correctio praescribitur, vehemen-
ter instant, quaeruntque quaenam ex illis falsae, quae temerariae,
quae scandalosae, quae seditiosae? De singulis verò disputant in hunc
modum, non reprehendentes quod quaedam mutare, quaedam tacere pro bo-
10 no communi iubeatur Becanus, sed severitatem censurae, asperitatem-
que quatuor illis verbis comprehensam extortam importunitate hominum
a Sede Apostolica alienorum Calvinistarum in Becanum odio servien-
tium arbitrati, ferre non possunt.

Censura Cap. I.

15 Inscriptio libri pollicetur responsionem integram pro Illustrissi-
mo Bellarmino, eam non praestat.

Responsio.

1. Optassè se quoque integram, sed valetudinem et quotidianas prae-
lectiones abrumpere coegisse. 2. Non videri pollicitationem illam in
20 titulo esse. Est enim controversia Anglicana pro defensione Illus-
trissimi Bellarmini. Itaque haud operosum foret titulum, quem tamen
Becanus mutavit, defendere, nisi certo constaret eius causa libellum
ad indicem non reiici, nec titulum tam gravi censura percelli.

Censura Cap. II.

25 Non solus Cardinalis Sfortia superstes est e Gregorii XIII Cardi-
nalibus, ut in praefatione dicitur; superstes etiam Chioiosa.

Responsio.

Falsum hoc obrepisse Becano, esse *σφαλμα* veniabile. Quid mirum, si
homo qui iam triginta annos in acie contra haereticos steterit, urbem
30 aulasque Cardinalium non viderit, nesciat a quo suum quisque honorem
habeat Cardinalis? Sed absit, ut Illustrissimi censores huiusmodi er-

/ ratum tam atroce censura affigant,ut ideo quasdam propositiones dicant falsas. Absit,ut nos Germani hoc de eorum aequitate,quae in tanto fastigio est maxima, suspicemur.

Censura Cap.III.

5 Pagina 77, § Non iure, dicitur Christus non habuisse primatum temporalem sicut neque Tiberius spiritualem. Deinde dicitur: alter primatus ab altero separari posse. Hanc propositionem ait censura Romae non bene audire.

Respondent Germani.

10 Non apparere in hac temeritatem,scandalum,seditionem,ne falsitatem quidem, aut de haeresi suspectam,aut censurae Indicis obnoxiam. 2. Paratos se plures quam centum proferre qui idem cum Becano dixerint, scripserint. Inter eos esse SS.Pontifices,SS. Patres,Cardinales,Dominicanae et Franciscanae familiae theologos eminentissimos; pauci
15 enim Carrerium probant. Quaerunt igitur,an omnes horum libri sint vetiti, et in eadem cum scripto Becaniano damnatⁱone? Si affirmatur,bibliothecae vacuabuntur. Si illi sine falsitate,temeritate,scandalo, seditione idem docuerunt, quomodo solus in culpa,et ante sui defensionem in poena est Becanus, qui revera sine temeritate et scandalo tot
20 ,et tantorum vestigia secutus est? Omnes illi negant Christo temporale vel Iudaeorum vel totius mundi,tale regnum,quale habuit Tiberius, ut Tiberio negant regnum spirituale,quale habuit Christus. Becanus nomine primatus regnum intelligit; separatos ait,quia Tiberii regnum separatum fuit a regno Christi spirituali,et Christus regnum non
25 habuit quale Tiberius. Deus bone! quae de paupertate Christi,et regni carentia dixere sine censurae periculo multi Patres Franciscanorum, nec eos ego censeo. Si in culpa Becanus,decies magis illi; si non illi, decies minus Becanus.

Quid Sorbonistae? nonne diserte hunc Christo primatum negarunt?
30 imo et alia ratione negant,et quae magis obstat Venetae causae,quam quam negat Becanus, nam ex Becani sententia Veneti defendi non possunt, et absit ut illis faveat sententia tam multorum,et sanctorum:

/ an ergo et in ea censura Sorbona? Non opinantur Germani, et sane censuram contemnerent, aut exurerent. Utinam nostratibus eximi posset (do lenter dico) sinistra suspicio, qua laborant, cum dicunt in Becanum cito expedita arma severitatis, quia in humilem, et pauperculum sine
 5 periculo posset executionis vigor distringi, cuique sola sint in dolore arma, preces. Quapropter rogamus obnixè, ut quid sic obliuientibus nostratibus sit respondendum paterno affectu Dominatio Tua Illustrissima communicare nobis dignetur.

Censura Cap. IV.

10 Pagina 98 dicitur Iacobus Rex esse legitimus superior in rebus civilibus, et ideo deberi illi fidelitatem et obedientiam a subditis, ut etiam iuramento confirment se id facturos. Id Romae non admittitur, quia est canon in 6^o monens subditos ut intelligant se haeretico domino non esse subditos. Et tamen quia etiam tyranno interim dum
 15 rempublicam administrat, subditi propter tranquillitatem et quietem publicam obedire debent, satis est dicere: debere catholicos Anglos regi suo fidelitatem et obedientiam civilem, quam si iuramento sibi confirmari voluisset, Summum Pontificem non repugnaturum fuisse.

Responsio.

20 1. Quicquid sit de verbo (legitimus), in Germania principes haeretici~~te~~ cos negare esse legitimos superiores, seditiosum haberetur. 2. Principes catholici ne audire quidem sustinent illam opinionem. 3. Multa hic diligenter notanda sunt, ne fidem plane exstinguamus. 1^o. Electores haereticos cum catholicis praestito sibi iuramento mutuo ad dignitatem
 25 admitti, censerique legitimè eligere, nam electus legitimus est Imperator. 2^o. Imperator illis regalia dat, subditosque illis, ut legitimis dominis obedire iubet, imo eos pro talibus agnoscere. 3^o. Ita in Camera Imperiali, quae Spirae est, iudicatur, et sunt praecipui iudicum catholici. 4^o. Si haeticis principibus rebellent subditi eorum, catholici
 30 suo auxilio Principibus praestito eos ad obedientiam cogunt, nam has operas vicini sibi Principes praestant. 5^o. Plerique nobiles catholici sunt etiam vasalli alicuius principis haeretici, ac illis iuramentum

/ praestant, quo illis non modo obedientiam promittunt, sed etiam ut domino legitimo; agnoscere enim se illos pro legitimis dominis in formula homagii iurant, nec ullus theologus in Germania, aut religiosus, sed nec ullus apostolicae Sedis Nuncius hac in parte illis hactenus
5 scrupulum movit. 6°. Plerique comites, multi etiam Principes vel ratione Principatuum suorum, vel dominiorum aliorum sunt vasalli Episcoporum; ab illis autem investituram suarum ditionum accipiunt, et earum ditionum domini constituuntur, confirmantur eo iure, quo qui optimo, appellanturque legitimi superiores, omnibus prohibetur eorum subditis, ne
10 se illis opponant; formulae vero manent eadem iurandi, confirmandi etc., quae olim erant cum omnes essent catholici, imo cautiones plures saepe adduntur. 6°. Imperatores, Reges Galliae, Poloniae etiam haereticos vasallos agnoscunt, constituunt, iurisdictionem et regalia illis conferunt. Legitimos illos suis diplomatis appellant. Exempla innumera
15 sunt. 7°. Quod si Summus Pontifex, aut Episcopus haereticus (quod qui fieri posse censent, mitius habentur quam Becanus) an statim desineret esse Pontifex, vel legitimus Episcopus? Verum quicquid hic sit verum, saltem opinio quae existimat, etiam cum haeresi manere legitimos Superiores, non est in damnatione, qua Becanus. 8°. Quid de Episcopis, Praelatis, Canonicis haereticis dicemus? qui Mindae, Halberstadii, Magdeburgi, Lubecae, episcopatus, praelaturas, canonicatus etiam Romanae sedis diploma impetrarunt? His autem adiuncta iurisdictio civilis, an ne illi quidem Superiores legitimi? Dicere non audeo, tamen vereor, ut illis ipsis brevibus, quibus praelatura et potestas confertur aut legitimi
20 superiores, aut sane tales verbis aequipollentibus nominentur. Nec obrepserunt omnes sedi Romanae apostolicae, ut constat de Principe Luneburgensi, Episcopo Mindensi. Angor animo et discrutior cum voces nostratum audio, verbum Becani, quo Regem dixit legitimum superiorem, cum brevibus Apostolicis, quibus illa haereticis communicantur conferentium.
30 um. Non ego illa culpo, hoc solum discere cupio, si vapulat tam graviter Becanus, quid faciendum Monarchis et Principibus, qui tales sua auctoritate ut legitimos constituunt? ita nominant? Episcopis qui i-

/ dem faciunt et agnoscunt? aliis qui illis non modo ut dominis iurant, sed diserte ut suis naturalibus et legitimis dominis? Si Becanus damnatur qui dixit, an absolvendi illi qui faciunt, iurant? Ego nihil dubito, si Sanctissimus dominus noster et benignissimus Pater Paulus
5 haec audiret, quin Becanum suo iudicio sublevaret; quod ut fiat Illustrissima Tua Dominatio facile, si vadebitur efficiet, eoque libentius, quia Galli qui multo durius docent sine censura sunt, et si iurispreriti haec pro Becano probarent, astipularentur.

Censura Cap. V.---

10 Pagina 102. Quod dicitur Iacobus esse legitimus Rex Hiberniae, et supremus dominus in Anglia, Scotia, Hibernia, praeter supradicta videtur vergere in praeiudicium temporale Ecclesiae Romanae ad quam spectat directum dominium Hiberniae.

Responsio.

15 Iam olim constat tenerrimam rerum omnium esse iurisdictionem, facile etiam a suis defensoribus, nisi cautissimi sint, irritabilem; eam semper defendit Becanus, et arcte complexus, forte incautius tractavit. Verum doluit hoc sibi excidisse, et continuo mutavit. Nostrates tamen negant ideo meruisse censurae gravitatem, nec ad Indicem hoc pertinere;
20 non enim res fidei est, Romanam Ecclesiam habere directum dominium Hiberniae. Quod si, qui nesciens id dixit, tam graviter plectitur, quae tandem censura digni sunt, qui de Regno Siciliae, aliis ditionibus volumina contra Sedem Apostolicam scribunt? Conferantur scripta Hispanorum, Siculorum, et ipsorum regum placita, et opponantur uni Becanae
25 sententiae damnatae, ut pariter vel illi damnentur, vel hic absolvatur; hic enim et illic de temporali dominio agitur. Ex alia causa ingens etiam disparitas: Becanus monitus omnia mutavit de Hibernia, illi libros contra se pro Romanae Ecclesiae dominio scriptos ditionibus suis exulare iubent. Causae se non interponunt Germani. Tantum mirantur
30 notari Becanum ob rem quae ad fidem non pertinet, alios eandem ob rem ne appellari quidem. Facti est negotium, et res particularis, in quo tamen a benigno iudice absolvi posset. Supremum enim dominium dici po-

/ test, etiam cum est aliud directum in eosdem subditos; utrumque est supremum in suo genere. Hoc dicendum est canonistis, et pro temporali dominio apostolicae Sedis valde zelantibus. Si enim Pontifex in rebus temporalibus directus dominus est, ut illi sentiunt, nec ego contra dis
5 puto, omnium Christianae reipublicae regnorum an Caesares et Reges sunt supremi domini? Respondent esse, sed in suo genere, et alii qui reges vasallos Pontifices vocant, ne Romae quidem audiuntur. Scio aliud ius esse Pontifici in omnes reges, etiamsi directum dominium haberent, aliud in regnum Hiberniae. Sed hoc Germani urgent, dominium
10 supremum aliquod recte vocari, etsi alius maius eo habeat diversi generis, aut si hoc falsum sit, non tamen esse falsitatem de fide suspectam, et inquisitione exagitandam.

Censura Cap. VI.

Pagina 120 { plus dicam. Quod in praeiudicium veri ac legitimi
15 cessoris praevaleat electio populi, alterum deposcentis ad regnum. Primo, Propositio ista absolute posita habet difficultatem; quia iniuste legitimus successor arcetur regno, neque ius est penes populum eum sine caussa iure successionis spoliandi,

Responsio.====

20 Propositionem a multis positam in solo Becano damnari: quanquam non simpliciter censura reprehendit, quod Becanus dixit, sed quod ipsa eum dixisse suspicatur, neque enim sine causa dicit arceri regno sed legitimum haeredem arceri, et exemplum Roboami et Ieroboami ostendunt censuram non debuisse addere illud: sine caussa. Gravem causam fuisse
25 cit populus, et fatetur Roboam. Quis hodie Regum in prima inauguratione sic intonans ut Roboam non pelleretur regno? Sed suspecta est haec Regibus et vitae eorum insidiosa. Ut suspiciones vitaret, delevit illa Becanus. Et satis ut videtur fuisset, si ob Regum suspiciones, non ut temerariam etc. iuberetur delere. Si tamen quia suspecta est, tam gravi
30 ter censetur, quid fiet aliis scriptoribus, qui tam iustam tribuunt Pontifici potestatem in Reges. Et sane ab iis plus metuunt. Non laudo illos Reges, causae similitudinem ostendo. Becanus flagellatur, ne male

/ suspicentur, aliis silentium non imponitur contra quos queruntur reges.

Censura Cap.VII.

Pagina 172 et 173 } Quinta est. Argumentum Becani dicitur videri insuf-
ficiens, quo utitur contra Lancellottum, alia itaque responsione opus

Responsio.

7 esse.

5 Etsi probabile esset, vel infirmum, quo eum contradictionis arguit, non tamen meretur censurae severitatem. Alias multorum scriptorum disputa-
tiones, et imprimis divi Thomae, quas vocant congruentias, falsitates, temeritatis, scandali, seditionis respective damnari oporteret. Videri
10 tamen posset telum Becani validum. Dixit Lancellottus, coetum qui cum Iacobo est, nec minorem nec minus illustrem esse quam partem Pauli Quinti. Dixit idem Episcopos qui per Italiam sunt, omnes alios per totam Europam superare. Quod si Episcopi Europaei vincunt omnes ceteros Europaeos, multis ergo partibus vincunt Iacobaeos, illustrior ergo pars
15 erit sola Italia, et quidem in Concilio, imo si eorum Episcoporum subditi considerentur, erit et multitudo maior, et splendidior pene ex solo Regno Neapolitano, quanto ergo maior pars Pauli Quinti, si totius Europae Episcopos tam potentes Italis adiungamus? Si ergo plures Episcopos fateri cogitur Lancellottus, ergo negare de populis non debet.
20 Et nititur Becani argumentum ipsa rerum experientia; nam in Landgraviatu Rheni, in Hassia, Brandenburgica, allisque partibus, etsi Principes sint Calviniani, bona tamen pars subditorum Lutherani sunt, et Calvinianos acerbius oderunt quam Catholicos.

Censura Cap.VIII, IX, X.

25 Censura putat posse videri alicui regem a Becano defendi contra Bellarminum, qui dixerat: Regem in Scotia fuisse Puritanum, in Anglia

Responsio.

7 Protestantem.

Becanus argumentatur ex verbis Regis non cohaerentibus; aliquando ita loquuntur ut Puritani videantur, aliquando non. Magis hoc ex Belgicis
30 et in Germania editis libellis cognoscitur. Sed hoc ad censuram de haereticis non pertinet, ut censeri debeat Becanus, et ad Indicem reici. Sicut nec illud capitis XI, de denario S. Petri; quod minus erat,

/ et parum controversum, dixit; non negavit id quod maius. Illa de mente Regum, qua dederint denarium, non pertinent ad fidem, multo minus ad seditionem. Ut etiam quod X. capite habetur.

Censura Cap. XI.

5 Post elenchum capitum moderatio praecipitur, qua ostendatur de christianis Regibus non agi, idque ad tumultus Gallicanos sedandos.

Responsio.

Etsi valde iniqua sit Gallorum querela, respondent Germani tamen etiam scandalo passivo obviam eundum, itaque cautionem iam eam a Becano
10 adiectam. 2. Becanum eam moderationem adhibuisse c. I^o. Sic enim ait: Asserunt Regem Angliae iure veteris Testamenti Pontifice nulla ex parte inferiorem esse; id perspicue refellam ex comparatione Regis et Pontificis in veteri Testamento. Et p. ag. 71. In hoc capite institui comparationem inter Pontificem et Regem veteris Testamenti. Non ergo sine
15 calumnia haec trahi possunt ad novum Testamentum, ut Becano anathema dicatur.

Hoc perspicue probatur. Argumentum Angli est: Rex in vetere Testamento nulla parte erat inferior Pontifice, nec ergo in novo. Negat antecedens Becanus, et rationes cur neget reddit. Et ecce tumultuantur
20 aliqui de Sorbona, carnificem parant, et ignem; deinde flagbellis Calvinistarum accensi Roma praesidium quaerere conantur, ut quem occidere nequeunt, infament. Germani tristius morte arbitrantur, si ob hanc causam propositiones dicant falsas, temerarias, scandalosas, seditiosas. Non esse hoc factum multa persuadent. 1. Quia si Rex diceret Pontificem definiendo errare, Concilium esse supra Pontificem, ius esse Cardinalium
25 liberos exurendi datum Sorbonae, et Becanus illa negaret, non censeretur ab Illustrissimo Collegio Cardinalium falso, temerarie, scandalose, seditiose negasse. Hic autem par ratio. 2. Haec propositio: Rex veteris Testamenti nulla ratione minor erat Pontifice, falsa est,
30 erronea, et si Becanus eam produceret haeretica censeretur, recte ergo negatur; nulla ergo hic culpa.

At omissio illa seditiosa est, non esse plane eandem in novo Tes-

/ tamento rationem. Non capiunt hoc nostrates. Si enim danda exceptio, detur sane; et dicat Becanus. Falsum est Regem veteris Testamenti nulla parte minorem esse Pontifice, itaque nec Pontifex in eum ius directum, nec indirectum habet. Aut: Pontifex Aaronicus potestatem habet in
5 Regem Israeliticum, sed non habet Romanus in Christianum. Non hoc agitur, nec restrictio addatur, quae iam addita est, sed non ideo damnandum Becanum, quia illa additione potius veritas tegitur, et adulatio potentium notatur, quam religio iuvatur. 3. Clarius cognosci non potest, unde, et quo authore, haec res agatur, quam rei ipsius cum aequitate
10 consideratio. Negat Becanus: Regem nulla ratione in veteri Testamento fuisse minorem Pontifice, non addidit: Non esse similem rationem in novo Testamento. Et clamat Sorbona: Becanum ad ignem. Cur hoc fervore non persequuntur Carrerium et Centurias canonistarum, qui voluminibus integris probant Pontificem esse Regibus maiorem, eorum dominum spiri-
15 tualem, imo temporalem indirectum et directum? Illos nemo Romae censet, Romae fuerunt, et sunt, nec nullos suae opinionis fructus percipiunt, nec Galli illis molesti sunt, sed Becanum petunt, ut hostem, quem sentiunt acrem Calvinistae, auxilio Romano sternant. Comparationem videamus: Det poenas Becanus, quia cum negaret, Reges veteris Testamenti nul-
20 la parte minores Pontifice esse, non addidit, in novo Testamento aliam rationem esse. Vivant illi qui docent: Reges in novo Testamento multis partibus minores Pontifice, et in spiritualibus et civilibus. Quid tandem hac ratione agitur? an dicatur Becano, vade, servi Diis alienis? an defende Barclaium ne offendas Gallos? At pacandi Galli. Pacentur
25 sane! sed non ideo Becanum censura percellat innocentem, non obiiciatur eorum iracundiae fama eius, qui vera scripsit, ne Catholicis insultent Calvinistae; veritate agatur non dissimulatione, aut si opus illa velificatione, ob temporis iniquitatem, ita paci consulatur publicae, ne in suo defensore veritas opprimatur. Nemo Germanorum est, quin ex-
30 istimet nullum Cardinalem Romae cum Gallis sentire, et hanc restrictionem esse frustrationem. Ideoque nec ob hanc de Becani scripto tam

/ severiter esse iudicatum. Cum autem praeter has undecim propositiones nihil reprehensum sit toto illo scripto; has autem non esse obnoxias censurae iudicent nostrates, iterum iterumque rogamus, ut plenior instructio, qua Catholicis satisfiat mittatur. Simul conscientiis consulatur, quae sunt in his partibus.

Ego, Reverendissime, et Illustrissime Domine, scribendi finem hic facio, non quia finem alii faciunt querelarum, sed quia quemadmodum haec, ut initio dixi, Romae excipienda sint, horreo. Et quanquam de Tuae Dominationis aequitate omnia mihi promittam, tamen video facile fieri 10 posse, ut quanquam omnia bene cedant, ego tamen ut inquietus et oblocutor audiam. Sed consolabitur me mea conscientia, et Deus testis, me haec pro Ecclesiae dignitate, fidelium utilitate, cum religiosa sinceritate scribere. Poteram tacere, ut longe abessem offendendi periculo, sed cum videam omnes libere loqui, neminem autem sciam scribere illis, 15 qui iuvare possunt, ad maiorem Dei gloriam constitui ipse hanc causam agere.

Illustrissimam Tuam Dominationem rogo, ut haec benigne excipiat, et si fieri potest, sua auctoritate apud Illustrissimum Collegium, et sanctissimum Dominum nostrum patrociniū Patris Becani suscipiat. Interest non magis Societatis, quam religionis, quod nimium nos nunc senti- 20 mus, veterem eius defensorem defendi. Deinde si quae ex his litteris existat offensa, ea in me solum redundet, nihil Societas luat, ideo enim ad Dominationem Tuam scripsi confidentia quadam fraterna, non contemptu Tuae Celsitudinis; sed vicit timorem, et verecundiam meam Dei timor 25 , cuius honorem hic agi iudicā. Idem ille Deus, qui respicit super egenum et pauperem, ut in die mala liberet eum, Illustrissimam Dominationem Tuam Ecclesiae diu servet incolumem, et largiter de beneficio exhibitō P. Becano remuneret. Moguntiae 26 Martii, anno 1613.

30 Reverendissimae et Illustrissimae D.V. / Humillimus servus
Adamus Contzen.
(Adresse, et cachet de la Comp.)